







1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.

1693.

1. Barkius, Godefridus: De jure pascendi
- 2^{us} Hornius, Jacobus: De transmutatione pascendi in al-
lodium. 2 Sept. 1693 : 1704.
- 3^{us} Horn, Jo. Franciscus: De bonis nuptialibus. Excerptis
juri canonici. 2 Sept. 1693 : 1716
4. Carpzovius, Augustus Benedictus: De eo, quod iustum
est circa destructionem et ruinam.
5. Cortezius, Jo. Ludovicus: De suspensa poena eorum, qui
imperatori maledicunt, usque dum ad saeram Caes.
reus majestatem relatum sit.
6. Crunius, Christianus: De interesse republicae circa
excursiones maritimas in terram alienam tempore
pacis institutas.
7. Dienelhoff, Jo. Gottlieb: De adulterio lege divina et ha-
mana coercenti.
- 8^{us} Dienelhoff, Christianus: De confessione fornicantis
extorta. 2 Sept. 1693 : 1717.

1693.

9. Ernesti, Johannes Heinrich: De officio transfugarum
militandi ad versus partes desertas
10. Koenigk, Johannes Christianus: De officio mariti ex
sua uxore.
11. Ludwig, Christianus: De transitu capivum per
territorium nostrum.
12. Marguardus, Gabriel Chas. Splem. De epulo
ferali veterum.
13. Meister, Johannes Gualter: De insignibus eorumque
interpretatione.
14. Nittroch, Joh. Gab.: De capite jejuni ~~et~~
15. Mylius, Andreas: De coitione imminente
- 16^a et Mylius, Andreas: De fendo in pecunia committente
Vra dem Leuchthamm. 2 Sumpl. 1693. 1716.
- 17^a et Philippus, Fridericus: De legitimacione per subsequens
matrimonium 2 Sumpl. 1693. 1717.

1693.

18. Rechenberg, Adam: De Totata Hildebrandino
19. Reichel, Julius Christianus: An ob religionem bellum geri possit?
- 20^{1^o} Schacher, Christianus Sigismundus: De judiciali delictorum denunciatioe. 2 Semph. 1693 - 1727
21. Schmidius, Gothofr.: De colloquiis ecclesiasticis in genere.
22. Sprenten & Overfferus, Bartholomaeus Terkhardtus: De interpretatione historico-politico-legali l. 2, l. 3, l. 4. by P. I.
23. Sprenten & Overffer, Barthol. Terkhardtus: De actione nativa non dabili.
24. Weisius, Christianus: De spurio in ecclesia et re litteraria clavis.
25. Zierold, Johann Gustavus: De rebus gestis Germanorum.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Partial view of the adjacent page, showing large, dark letters: J, M, D.]



LXXXIII.

1693/18

22

23

Q. D. B. V.
DE

**TOTATU
HILDEBRANDINO,**

DISSERTATIO HISTORICA,

Quam

MODERANTE

L. ADAMO RECHENBERG, P.P.

In

ACADEMIA LIPSIENSI,

IV. Febr. M. DC. XCIII.

H. L. Q. C.

Ad solennem Eruditorum disquisitionem,

proposuit

JOHANNES DOPPERT,

Moenno - Francofurtensis,

A. R.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTOPH. FLEISCHERI.

bris
quæ-
Cod.
giti-
um,
cipis,
dium
andi
bent.
s de

nitio
tol-
ge-
nan-
de-
nam
n. o-
teft
ubi-
i fit
eris
acti

ita-
po-
sto-
que



2

DE
TOTA
HILDEBRANDINO
DIPLOMATICO HISTORICO
ADAMO RECHENBERG, P.R.

AD HONORANDUM
JOHANNES DORRERT
PROFESSORIS
AB HONORANDISSIMO

PHILIPPO CHRISTOPHO RECHENBERG





B. C. D.

DE

TOTATU HILDEBRANDINO,

Seu

GREGORII VII. PONTIF. R.

ABSOLUTO DOMINATU.

SUMMARIUM
DISSERTATIONIS.

§. 1. Inscriptionis *novo vocabulo* factæ ratio. 2. Ejusdem inven-
tor & significatus. 3. Ipsi rei voce isthac denotatæ autor
Hildebrandus. 4. Cujus origo altius inquirenda. 5. Qualis
potestas in Ecclesia a CHRISTO instituta. 6. Origo pote-
statis episcopalis. 7. Pars ejusdem designatur. 8. Qua
occasione ex Episcopis *Metropolitani* facti. 9. Sedes Metro-
politanorum & Patriarcharum primæ. 10. Episcopi R jam
primis seculis Christianis prærogativam juris in alios ambi-
verunt. 11. Origo tituli *Episcopi œcumenici* seu *universalis*.
12. Inde ambitio Episcop. R. incrementa cepit: 13. Quæ se-
culo XI. ad *annu* pervenit. 14. Hinc *Totatus Hildebran-*
dinus, in quo describendo *tres partes* constituuntur: 15. Qui-
bus vita Hildebrandi præmittitur. 16. *Prima* tractationis
pars faciem illorum temporum deformem delineat: ut Ec-
clesiæ & *curiæ Romanæ corruptio*: 17. *Barbaris* literarum:
18. *Schismata*. 19. *Veræ Politicæ ignorantia*: 20. *Jus nomo-*
theticum per Epistolas Decretales a Papa affectatum. 21. Tur-
bulentus in Germania Henrici IV. Imp. tempore status, quo

A 2

Hii-

Hildebrandus Papatum invasit: 22. qui Religionis curam
præ se tulit. 23. *Secunda tractationis pars* artes Hildebrandi
ad *Totatum* grassantis continet; quarum *prima* simulatio &
abusus nominis Christi ac S. Petri. 24. *Altera*, discordias in
Germania fovere: 25. *tertia*, blanditiis populum & muneri-
bus milites capere: 26. *quarta*, artem simulandi & dissimu-
landi exercere: 27. Qua Henricum IV. decepit. 28. Hinc
ad *Totatum* via strata, cujus descriptio inseritur. 29. Fastuo-
sæ ac sceleratæ Hildebrandi molitiones adversus Cæsarem,
qui jus suum in Papam defendit. 30. Hildebrandus Cæsarem
excommunicat. 31. *Primum* hoc TOTATUS HILDE-
BRANDINI specimen, quod omnes cordati scriptores Pon-
tificii improbant. 32. Primus fuit Hildebrandus, qui hanc
tyrannidem sibi arrogavit. 33. Vis & effectus excommuni-
cationis Papalis. 34. Henrici IV. imperatoris humilitas &
deprecatio erubescenda, qua absolutionem ab Hildebrando
impetravit. 35. Henricus IV. dum auctoritatem Cæsaris. postea
vindicare parat, iterum excommunicatur & ab Anti-Cæsare
Rudolpho infestatur. 36. Rudolpho occiso, novi Anti-Cæ-
sares creantur, & tandem ipse filius Henrici in Patrem instin-
ctu Papæ, insurgit. 38. *Alterum* TOTATUS HILDE-
BRANDINI specimen fuit invasio juris investendi Episco-
pos, 39. hujus invasionis autor primus Hildebrandus, 40. ma-
gna in hoc jure ad stabiliendum *Totatum*, momenti ratio. 41.
Affectavit id juris etiam in Gallia. 42. *Tertium* TOTATUS
argumentum ex *Hildebrandi Epistolis*, ad Reges & Principes
scriptis, adducitur. 43. *Dictatus Hildebrandini* TOTATUM
ejus in compendio quasi demonstrant. 44. *Dictatum av-*
gustinum contra *Launoium & Natal. Alex.* asseritur. 45. Pote-
stas Papæ *secularis* his *Dictatibus* stabilita. 46. An Papæ in-
fallibilitas iisdem asserta? 47. *Cælibatus* clericis imperatus
ex *Totatus* ratione derivatur: 48. Cujus causa, ratio *Totatus*
Pontificii status. 49. *Tractatio* hæc abrumpitur voto pio
adjecto.

§. 1.



Novum forte & monstrosum videbitur
vocabulum, quo dissertationis hu-
jus argumentum in frontispicio de-
signare sustinui. Enimvero, qui
Philosophis *ὀνομαζομένῳ* quandoq;
licere ajunt, non vitio vertent aliis,
si hâc in parte ipsorum licentiam
imitati, rei novæ & monstrosæ signi-
ficandæ, noviter, sed apte satis excogitatam adhibent vo-
cem.

§. 2.

Talis vero est TOTATUS, quam a *Paulo Veneto* inven-
tam *Claudius Serravivus, Senator Parisiensis amplissimus*, epi-
stola ad *Cl. Salmasium* p. 210. usurpavit. Cum enim mirifi-
ce immensam ambitionem & avaritiam *ἀπηνειχέως* Papæ
Hildebrandi eadem designari asseruisset; statim subjicit,
*quid enim aliis relinquit, dum omnia sibi plenissimo jure vin-
dicat Papa, religionis cura neglecta?*

§. 3.

Et sane si historiam illorum temporum consulamus,
non aptius magis & significantius excogitari poterat voca-
bulum, quo *suprematus & dominatus immensus* abs *Hilde-
brando* in primis stabilitus brevissime notaretur. Etenim
ipse potentiam Pontificum tot artibus malis hæcenus per
aliquot secula quæsitam, ad summum fastigium perduxit, ut
quo progredere amplius non haberet.

§. 4.

Hoc, ut effecerit, ex historia & statu illorum tempo-
rum paullo fusius nunc quidem demonstrare loco exercitii
Academici, animus est. Quod ut rectius intelligatur, pau-
lo altius origo potestatis ecclesiasticæ, quam Dominatio-

ram
andi
io &
as in
neri-
mu-
Hinc
tuo.
m,
rem
DE-
Pon-
nanc
uni-
as &
ando
pstea
efare
Ca-
stin-
DE-
isco-
ma-
41.
IUS
ipes
UM
av-
ote-
e in-
atus
atus
pio
No-



ni suæ Pontifices R. subinde prætexere solent, inquirenda
erit.

§. 5.

Illa vero, si primam ejus originem & indolem respi-
cimus, nullum tale involvit imperium, quale Episcopi R.
tantis molitionibus affectarunt, nec prius, quam impetras-
sent, destitère. Nam Christus, supremus Ecclesiæ condi-
tor, nec personam Principis ipse gerere in terris, nec Apo-
stolos Ecclesiæ propagatores, imperium quocunque nomi-
ne stabilire voluit. Quia ecclesia, quæ regnum Christi ap-
pellatur, plane diversæ indolis a regno civili est, quod absq;
territorio ac imperio seu civili potestate esse nequit. Illa
autem cum similis magis sit scholæ aut collegio, non nisi
doctores & discipulos involvit, qui ab illis tradita divina
placita addiscant atque ad cultum animæ adplicent, procul
habita omni curâ imperii, quæ ad Principes spectat.

§. 6.

Dum autem Ecclesia in republicâ primum plantata,
ac condita, absque ordine certo constare nequit; præter
potestatem docendi divinitus Apostolis collatam, opus fu-
it, inter doctores ordinem constitui quendam, quibus præ-
ter docendi munus, incumberet cura disciplinæ & decori in
ecclesiâ utique necessarii. Hinc aliquibus pro diversitate
locorum & diœcesium, prærogativa in Ecclesia concessa
fuit, *Episcopatus* nomine designata. Quæ qui fungebantur
ἐπίσκοποι, Præsules & Episcopi appellari consueverunt.

§. 7.

Hos officii ratio obstringebat, ut cum cura doctrinæ,
disciplinam quoque Ecclesiæ observarent; præsertim cum
illa nondum tribus post natum Salvatorem seculis, haberet
magistratus Christianos: quorum alias munus est inspectio-
nem in acta Ecclesiæ exercere generalem; ne quid discipli-
na

na Christiana damni patiatur aut, confusio etiam DEO inimica oriatur.

§. 8.

Sed cum ante Constantini M. Imper. tempora, Episcopi in diversis Ecclesiis constituti, æquali in suis dioecesibus gauderent potestate, nec unus alterius subesset imperio; postea partim humani ingenii ambitione, partim Cæsarium indulgentia evenit; ut qui sedes in aliqua Romani Imperii metropoli tenerent, cæteris ob dignitatem urbium & dioeceseos amplitudinem anteferrentur.

§. 9.

Hujusmodi metropoles olim fuere Hierosolyma, Antiochia, Alexandria, Roma & tandem Constantinopolis. Harum urbium Episcopi ceu primarii partim Metropolitanorum, partim Patriarcharum nomina indepti sunt. Variæ inde mutationes factæ, quas *Salmasius, de Primatu Papa, cap. IV.* & doctissimus *Edmundus Richerius in histor. concil. general. tom. 1. c. 2.* recensent. Tandem vero maxima contentio Romanum inter & Constantinopolitanum Episcopum de *primatu* inprimis suborta est, illo antiquitatem & dignitatem urbis atque sedis quondam imperatoriæ urgente; hoc iterum regerente, quidquid dignitatis habuisset Roma, id a Constantino translatum fuisse Byzantium; quippe quæ nova Roma & nunc sedem Imperatoribus præberet. At ille (Romanus) insuper antiquitatem & prærogativam S. Petri, qui ut Princeps Apostolorum, sedem Romanam fundasset cum jure prærogativæ ad successores transferendæ, allegavit; atque vel hoc inprimis nomine sibi deberi prærogativam contendit. Prolixa hæc contentionis historia est, quam viri summi doctissimi que *Morneus, Blondellus, Ludovicus Molinaus, Edmundus Richerius, Casaubonus, Cl. Salmasius & Pufendorfius* publicis scriptis jam ante nos exposuerunt.

§. 10.

§. 10.

Equidem circa finem seculi secundi a CHR. N. jam *Victor*, Episc. R. Polycratem & Ecclesias Asiaticas, ob levem circa tempus Paschatis celebrandi dissensum, proscribere ausus erat; quod, ut *Eusebius H. E. l. V. c. 24.* refert, cæteris Episcopis minime probatum fuerat: & circa medium tertii seculi *Stephanus* Episcopus R. cum Basilidem Episcopum Asturiensem & Martialem Melidensem, Hispanum utrumque in fidem immorigerum recepisset, jus appellationis supremæ ambire visus erat, quod *S. Cyprian. Epist. juxta Pamelii numeros, LXVIII.* parum placuerat. Attamen ante sextum seculum frustra fuerunt molitiones Pontificum R. pro stabiliendo primatu susceptæ. Semper enim fuere, qui istis ambitiosis conatibus sese opponerent.

§. 11.

Sexto vero seculo finito post varias concertationes de *Primatu & tituli Episcopi œcumenici seu universalis* obtinendo, *Bonifacius III.* prævaluit; ut, quod Gregorius cognomento M. notam *Anti-Christi Epist. CXIV.* dixerat, *Episcopus audiret œcumenicus.* Phocas nempe Imperator, homo (ut *Theophylactus Simocatta* de eo loquitur) *μὴ βλάσφημος* ac tyrannus, Cyriaco Patriarchæ Constantinopolitano infensus, in favorem non tantum Episcopi R. Ecclesiam R. omnium Ecclesiarum caput, sed & Episcopum R. *œcumenicum*, s. *universalem* Ecclesiarum omnium Christianarum esse dicique debere statuit. v. *Paulum Diaconum l. XVII. Alphons. Ciaconium, Augustum Oldvinum, Anastasium & Platinam in vita Bonifacii III.* Quo tamen titulo ipsi nullum adhuc jus imperii in universam Ecclesiam collatum fuisse, constat.

§. 12.

Obtento interim Primatu ordinis in Ecclesia, a seculo inde septimo, ad undecimum, quo *Hildebrandus* rerum pene

pane omnium potitus est, nihil dolosarum artium & nequitiarum intermiscere Pontifices, quod quidem ad stabilendam etiam potestatem temporalem ipsis videbatur commodum. Longum foret artes illas ambitiosas omnes, quibus ad hanc rem conficiendam usi sunt, recensere. Nicolaus I. non erubuit *Dist. XCVI. c. 7.* superbis plane verbis jactare: *Satis evidenter ostenditur, a seculari potestate, nec solvi prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat a pio Principe Constantino DEum appellatum; cum nec posse DEum ab hominibus judicari, manifestum sit.* Johannes IX. tres Imperatores Carolum Calvum, Ludovicum Balbum & Carolum Crassum ad se Romam vocatos Augustos pronuntiavit & consecravit. Hinc *Sigonius*, scribit: *titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique imperii a consecratione Pontificia repeti cepti sunt.*

§. 13.

Decimo quidem seculo, Otto Magnus Imperator Pontifices R. omnes modestiæ limites transgressos in ordinem quodammodo redigere nitebatur, accisa eorum potentia, quam affectarunt. v. *Conring. de German. Imper. R. c. X.* At illi temporum callidi, cum Roma abessent Cæsares, non intermiserunt dominatum iterum adaugere suum; donec eum seculo undecimo *Hildebrandus* a Germanis vulgo *Hellebrand* dictus, ad summam *axulw* perduceret.

§. 14.

Atque de hoc absoluto dominatu, seu TOTATU ab illo stabilito firmatoque, nobis plura nunc dicenda sunt. Quod forte commodum fiet, si *primum* temporum illorum faciem sane miseram expendamus; *deinde* si malas artes in hoc negotio usurpatas attendamus, & *denique* ipsum TOTATUM breviter describere sustineamus?

B

§. 15.

Quod antequam aggrediar, paucis monstri hujus *Hildebrandi* vitam attingere tantum juvat. Fuit is gente Tuscus, patria Soanensis, Bonizi natus fabri ferrarii filius. Pusio adhuc in officina patris, literarum rudis, & ligni forte segmentis compositis ludens, dictum Davidis, *Dominebitur a mari usque ad mare*; futuri dominatus omine, formavit, teste *Brietio ad annum M. LXXXIII.* & *Oldoino in vita* hujus fol. 855. Felici autem & acri præditus ingenio, Laurentium Archiepiscopum Amalpinum artibus magicis infamem, & Gregorium VI. Papam Magistros nactus, ita profecit; ut sub isto Ecclesiæ R. fieret Sub - diaconus. Mox Gregorio VI. ab Imperatore Henrico anno 1047. Pontificatu exuto inque Germaniam abducto, ei comes ivit. Inde in Galliam profectus, apud monachos Chuniacenses aliquandiu confedit, brevi post monasterii prior renunciatus. Post Leonis IX. obitum a. 1054. jussu Cleri Romani, ad Henricum imperatorem profectus, ab eodem in Leonis locum Pontificem surrogari novum petiit. Hinc a. 1055. in Galliam a Victore II. ablegatus, contra Simoniacos Concilium Lugdunensè, & contra Berengarium, Turonensè celebravit. Triennio post elapso, a Stephano X. ad Agnetem Imperatricem & Henrici IV. matrem missus, indeque redux factus ob rem præclare gestam a. 1061. ab Alexandro II. Cancellarius constitutus est. Tandem cum diu Papali ante ambitione caluisset, a. 1073. d. 30. Junii, fastu & superbia totus tumens, eadem vespera, qua mortuus Alexander, inconsulto Cæsare (teste *Lambert. Schaffnaburgensi*) præter consuetudinem, contempto etiam Cardinalium suffragio Pontificatum obtinuit supremum, nomine *Gregorii*, ex amore erga Gregorium VI. assumpto. Formulam electionis a *Platina p. m. 173.* recitatam, vobis merito *Centuriatores Magdebur-*

deburg. Cent. XI. c. 10. arguunt. Prolixius vitam ejus tractant *Alphonsus Ciaconius, & Augustinus Oldoinus, tom. 1. Vit. & Rer. Gestar. Pontif. Rom. & Cardinal. fol. 847. seqq.* itemque editores *Registri Epistol. Gregorii VII. quod tom. X. Concil. ad editionem Regiam exactorum studio Philippi Labbei & Gabr. Cossartii insertum* legitur. Ubi illud observandum, quod *Oldoinus in novis additionibus f. 855.* Gregorium hunc ex nobili & antiqua familia *Aldobrandescorum Comitum Soanensium* derivet: quem sequitur *Maimburgius in Histoire de la Decadence de l' Empire l. III. p. m. 218.* addens comites, de Patiliano ex eadem gente suum ducere genus. At scriptores vitæ ejus, ex *tom. X. Concil.* jam allegato diserte ajunt: *Hie (Hildebrandus) patria Soanensis natus est in Tuscia, humili loco, parente fabro, sub protectione S. Petri educatus.* Ceterum statura parvum, animo ingenti fuisse, *Oldoinus, & Maimburgius,* scribunt. Fabulas de miraculis ab eo editis adducere hic putidum foret. Vita excessit Salerni a. Chr. MLXXXV.

§. 16.

Exhibita descriptione vitæ Hildebrandinæ, ad rem primo nostram facit, in compendio recensere, quæ facies illorum temporum in Ecclesia R. fuit. Eam certe deformem valde & deplorandam omnes, quotquot historiam istorum temporum attigere, describunt. Si aulam seu curiam Romanam respicias, Pontifices inter nemo curam Ecclesiæ veræ gesit, vel probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter omnibus propositum fuit, inexplebili dominandi libidine. Unde magna & misera civitas Romana eodem anno sæpenumero dominatum impotentem duorum pluriumve passa, inter Bonifacios, Benedictos, Clementes, Innocentios, Johannes, Urbanos, varia & pudenda sorte agebat: donec successere Marcelli, Alexandri,

B 2

Julii,

Julii, Leones & tandem *Hildebrandus*. Nam *Genebrardus* ceteroqui hostis Protestantium infensissimus, in *Chronici initio seculi decimi*, ultro fatetur, *sedisse in illa sede* (Romana) *aliquando Papas quinquaginta, serie continua, non Apostolicos, seu Apostaticos*. Religio enim ipsa undique superstitione plena usque ad insaniam fuit: ut Divorum Divarumque numero in dies aucto, huc *Juvenalis* illud *Satyr. 13.* quadret:

Non turba Deorum

Talis, ut est hodie.

Abominabilis reliquiarum & imaginum cultus, Dei cultum oppresserat; ut quod *Augustinus Epist. CXIX.* sua ætate factum queritur, id hoc seculo verisimilius multo usurpari potuerit: *Religio*, inquiebat, *ita traditionibus ac ritibus humanis corrupta fuit, ut conditio Judæorum facilius fuerit sub lege, quam Christianorum sub ipso Evangelio.*

§. 17.

Malo huic accedebat summa barbaries & offusa sacris & bonis literis caligo, per gentes ante barbaras illata. Hæc efficiebat, ut inepta, absurda, immo impia citius persuaderi populo possent, quam si s. literis & artibus sapientiæ fuisset excultus. Itaque quæ qualescunque studiorum reliquiæ in claustris penes Clericos tantum superessent; ipsi sedulo caverunt, ne alii in s. literis aliquot progressus facerent, ac detecta veritatis luce, fraudes cleri observarentur.

§. 18.

Augebant hæc mala publica schismata ante exorta, contentiones Principum & vitia populi ad cleri exemplum composita. *Baronius* certe monarchiæ Papalis defensor acerrimus, ipse corruptionis, quam memoravi, testis est *tom X. Annalium ad annum Christ. D. CCC. IXC. n. 2.* *At hic finis seculi hujus, ut multis ex causis universæ Ecclesiæ ærumnosa, Romana vero potissimum laboriosa ob diversas tam adversus occiden-*

*cidentales quam orientales Principes perdifficiles: in primis
vero ob dirum schisma Græcorum auctore Photio partum; sed
ob intestina eademque implacabilia bella in ipso sinu ejusdem
Romana Ecclesia agitari coepta, cæteris lugubrius est reddi-
tum atque funestius, cum videlicet stertentibus omnibus, qui-
bus ad regimen fuerat vigilandum; immo iisdem ipsis, ut apo-
stolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur, operam dan-
tibus: non nisi divinum debeat existimari miraculum, si ipsa
tot tantisque jactata procellis, contusa fluctibus, ventis impul-
sa atque illisa sæpe obviis quibusque scopulis, detrusaque crebro
violenter insyrtes, potuerit aliquo modo tot malis esse superstes,
ut plane quam apertissimo fuerit demonstratum experimento,
non humano tantum eam gubernari regimine, sed certe divi-
nis regi presidis, fulciri subsidiis, supernaque omnino inco-
lumem conservari potentia. Ut iis qui ipsa inter tanta discrimi-
nina vecti, cum se ipsos incolumes ad portum insperatum per-
tigisse cognoverint, sit illud pro dulci celeusmate canendum:
nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Do-
minus erat in nobis. Annum post Christum nat. D. CCCC.
his verbis auspiciatur Cardinalis: *En incipit annus Redem-
ptoris nongentesimus, quo & novum inchoatur seculum, quod
sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis
deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari
consuevit obscurum. Hoc seculo, (paulo post ait) in immensum
& crescente scelerum diluvio, eo penitus obrui videri potuisset
omni pene destituta remigio navicula Petri, qua univèrse ty-
pum gerit Ecclesia, nisi custodita fuisset summa potentia pro-
missionis Christi, qua dicit, & porta inferni non prævalebunt
adversus eam §. VII. pergit: Omnia tunc Romæ tam sacra quam
profana factionibus miscebantur, ut penes illam partem esset
promotio ad Apostolicam sedem Romani Pontif. qua potentior
appareret, ut modo Romanorum proceres, modo Etruria Prin-**

cipes intruderet secularis potentia, quem vellet, & dejiceret quem posset Romanum Pontificem a contraria factione promotum. Quae toto hoc ferme seculo sunt actitata, quousque Germania Imperatores Ottones mediis intercessere utrique parti contrarii, arrogantes licet & ipsi sibi pariter Papa electionem atque electi dejectionem. Herberti iudicium de miserrimo hoc Ecclesiae statu, qui ea tempora Anti-Christi tempora designare dixit, Baronius adducit in annalibus ad annum M. l. n. 7. Plures hujus rei testes in medium adferre superfedemus. confer *Aventin. Annal. Boj. l. V. f. m. 446. sequ.*

§. 19.

Ad causas etiam corrupti status ecclesiastici & civiles referri potest ignorantia verae & genuinae doctrinae politicae, qua docetur jura imperandi non tantum summis imperantibus sola competere; sed & illa sine distractione imperii, non posse in una eademque civitate, inter plures dividi, nisi bicipitem, hoc est, monstrosam rempublicam habere velis. Hanc enim disciplinam cum clerici, qui in scholis vel claustris juventuti praerant, aut perplexe traderent, aut subinde placita sua ad dominatum Pontificis Romani stabilendum accommodarent; mirum non est, magno civilis potestatis detrimento, animos hominum de summa Pontificis in terra potestate fuisse imbutos, neglecta Principum autoritate, cui parem Episcopi jam in Germania affectare coeperant. Pontifices igitur temporum callidi, in rem suam vertere hunc turbatum & corruptissimum Ecclesiae & reipublicae statum intenderunt, ut dominatum stabili-
rent absolutum.

§. 20.

Magnum quoque momentum ad convellendam Principum ac Caesarum potestatem, & stabilendam Papalem

lem tyrannidem attulerunt *Epistola*, ut vocant *Decretales*,
quæ primis Episcopis R. illa tempestate tribui cœperunt;
ut ex antiquitate veneratio esset. Ac quamvis non essent
authenticæ, ut *Blondellus in Prolegomen. Pseudo-Isidori c. 19.*
probat; imperitis tamen hominibus, in illa temporum
barbarie atque ignorantia impositum fuit, jam inde ab ini-
tio Christianæ religionis, jus fuisse Episcopis Romanis, le-
ges universo orbi Christiano præscribere. Inoleverat hinc
persvasio, de rebus magni momenti oportere omnes Epi-
scopos Ecclesiam Romanam consulere, & genuinum ca-
nonum usum pariter ac sensum ab ejusdem Episcopo ex-
quirere. Ideo etiam ille *responsa* sua impostetum pro *Decre-
tis* haberi voluit, novaq; inde decretâ facere consultum du-
xit, caussatus, principem orbis sedem Romæ constitutam es-
se, supremamque controversiarum cognitionem ad se per-
tinere. v. *B. Zigleri Dissert. de Origine Jur. Can.*

§. 21.

Talis cum esset Ecclesiæ rei; publicæ per illa tempora
facies, *Hildebrandus* in sedem R. evectus, tempus esse oppor-
tunum ratus stabiliendi TOTATUM, quem multis adeo
artibus ante moliti erant Pontifices. Inprimis autem com-
modam homini arroganti ingenio & contumaci occasio-
nem dedisse videbatur *Henricus IV. Imperator*. Tenera is
ætate patre orbat, moribus non optimis fuit imbutus, tu-
toribus suis interim imperium male administrantibus. v.
Lebmanni Chron. Spir. l. V. c. 26. Nam sacerdotia & sacra-
munera nundinando dignis & indignis juxta vendiderant.
Ipse vero Henricus cum adulta jam ætate, imperii opes in
Episcoporum manibus esse animadvertisset; prædam tam
opimam & vindicare sibi, & Saxones licentia hætenus pe-
jores factos in ordinem redigere laboravit. Quo facto, in-
gentem sibi & apud Saxones & alios imperii ordines invidi-
am

am concitavit; ut in rebellionem passim contra Cæsarem, conspiraretur, bellisque indestinis omnia turbarentur. Querelæ, hinc ad Papam ad quodvis audendum paratum, delatæ gratissimam vindicandæ libertatis & potentiæ dedisse videbantur occasionem, Cæsare jam gravissimis in Saxonia bellis implicito, ac omnibus pæne Principibus Germaniæ inviso. vid. *Alberti Stadenfis Chronic. A. CHR. M. LXXIV.*

§. 22.

Ne tamen inique egisse Pontifex videretur, sacrum religionis nomen subinde prætexebat: sacerdotiorum constitutionem sui juris esse ac potestatis: Cæsarem & nundinando, & hominibus improbis vendendo, turpissimum ex iis quæstum fecisse: sacrificulos vitio creatos priusquam mysteriis sacerdoti rite initiati fuissent; jura Saxonum violata, religionem & canones per Simoniam crimen insuper habita fuisse. Hac de causa Pontifex edictum promulgavit; ne Cæsar vel Episcopus vel alios sacerdotes constitueret. Cui cum imperator jure suo confisus obtineretur; hunc non tantum, ad causam dicendam, Romam citavit; sed & exauctoratum mox diris, populo insuper sacramenti & obsequii religione soluto, devovit & excommunicavit; *cum ipse tamen* (dicente Alberto Stadenfi l. c.) *inauditus & absens fuisset.*

§. 23.

Ad primum ergo Pontificis R. *artem* stabiliendi TOTATUM referas sanctæ religionis *ωεφδοσι* quo in Epistolis suis subinde usus legitur. Enimvero dicente *Cicer. lib. I. offic. totius injustitiæ nulla capitalior, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt id agunt, ut viri boni esse videantur.* Quem tamen fallendi modum Romanis olim frequentem fuisse, historia testis est. Numa enim Pompilius, rem-

republicam firmaturus, omnium primum, rem ob multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam, Numinis metum injiciendum ratus est: cumque is descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset; simulabat sibi cum Dea Ageria congressus nocturnos esse, ejusque se monitis quæque peragere, ut *Livius l. I. c. 19. Tacitus annal. III. 26.* testantur. Numam stolidissimus Caligula apud *Sueton. c. 22.* imitari voluit. Nulla quippe res, agente *Curtio lib. IV. c. 10.* multitudinem efficacius regit, quam superstitio: alioqui impotens, sæva, mutabilis ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret. Simili igitur modo *Hildebrandus* S. Petri ipsiusque Christi nomine subinde abusus, gentes Christianas decepit, deceptasque sedi Romanæ subicere laboravit. vid. *Ejus Epistol. ad Principes hac de causa scriptas tom. X. Concil. edit. Paris. 1671. Lambert. Schaffnaburg.* qui res Hildebrandi diligenter annotavit, & *Aventin. l. V. Ann. f. 447.* Communis populi in Germania tum vox erat, Hildebrandum odio atque libidine dominandi præcipitem agi, Anti-Christum esse, pietatis sub specie debacchari, honestis nominibus bonum publicum simulare, titulo Christi, negotium Anti-Christi agitare; in Babylonia in templo DEI sedere, super omne id, quod colitur, extolli, quasi DEUS sit; se errare non posse gloriari, in excelenda gloria sua, pertinaci spei atque concupiscentiæ imperatoris suo arbitrio constituendi se devovisse; homines non peccatis, sed lege Christi atque sacramentis solvere, pacem atque pietatem religionis labefactare, bella seditiones concitare; stupro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulgere: vid. *Aventin. l. c. pag. 455. seqv.* prolixioribus verbis Hildebrandi scelera describentem. *Bellarminus* quidem *l. IV de Romano Pontifice cap. 13. de Gregorio VII.* prolixus est in excusandis

C

hu-

hujus Papæ criminibus, & refutandis testimoniis, quæ a Germanis præcipue contra Hildebrandum consignata sunt. Enimvero suspecta omnia sunt, quæ ex Hildebrandinorum sectæ addictorum scriptis allegat. Sane ubi rerum testimonia adsunt, frustra malæ fidei testimoniis certatur. Præsertim, cum qui de eo contrarium testantur, religioni ut vocant, catholicæ quoque addicti omnes fuerint.

§. 24.

Altera Hildebrandi ars fuit, semina discordiarum jacere fovendis in Germania turbis & sceleribus. Ut enim, juxta *Tacitum*, in turbas & discordias pessimo cuique plurima vis; ita Hildebrandus noverat, nihil aliud adversus validissimas gentes utilius, quam si in commune non consulant, nec commune periculum concordia propulsent. Ideo per Episcopos cum primis quos sibi faventes habebat, Saxones ad discordiam & rebelliones illiciens, Henrico negotium facescivit molestissimum, ut si non per acies, per discordias destinata conficeret sua. Nec ipsum spes hæc frustra habuit. Animis enim multorum ordinum a Cæsare jam alienatis, pauci erant, qui autoritatem ac jura Cæsarea adversus injustum invasorem tuerentur. vide *Lambert. Schaffnaburg, Avent. lib. V. Annalium Bojorum. Lehmann. Chron. Spir. l. V. c. 28. seqq. & ex recentioribus Ludovicum Maimburg. Hist. supra citat. p. 217. & 238.*

§. 25.

Blanditiis præterea populum Romanum & muneribus milites sibi devincire doctus erat. Etenim cum propter maxima crimina ex decreto Henrici IV. Imperatoris, cui non Germaniæ Galliæque tantum, sed Italiæ etiam Episcopi subscripserant, sede motus esset, atque de novis Saxonum turbis intestinis intellexisset; Romæ concione in templum vocata, ita presso omni dolore animi, Sacerdotes,
Sena-

Senatum populumque Romanum alloquitur: *Caput mundi, Romani rerum Domini, victor gentium populus, & imperium & Pontificatum, in quos libuerit, transferre potest: sicuti ante ducentos & septuaginta quinque annos, a Gracis in Germaniam transtulit. Quemadmodum militem ignavum imperator exauthorare potest, ita militi ducem injustum deferere licet. Vestrum munus est Quirites, vestrum & beneficium, vestro sanguine atque sudore partum tantum imperium, quod bonum, faustum felixque sit. Mecum, filii charissimi, decernetis, quinam Romae posthac regnarit: nec me superstite, Rex libero populo, quem non creavit, imponetur. Posthac inquit AVENTINUS, Gregorius millia talentum quindecies viritim distribuit. Ea a Nordmannis & Machtylde contributa fuere. Opes quoque ecclesiasticas, quibus haecenus pauperes alebantur, militibus & rei bellicae peritis largitus est. Quod & Hildebrandini Gerochus & Paulus non inficias eunt, & hic tanquam benefactum excusat, & id licere defendit. Romanus ergo hoc donativo oppignoratos, specioso nomine libertatis inescatos, Gregorius facile ad se deficere persuasit. vid. Aventini l.V. Annal. Bojor. f. m. 453.*

§. 26.

Præterea artem simulandi & dissimulandi, quæ ad imperandum est necessaria, exacte callebat. Nam etsi artibus & molitionibus pessimis usus ad Pontificatum adspirasset; simulaverat tamen, ac si invito tantum onus foret impositum. Ita enim Gottifredo duci gratulanti sibi de tanto honoris culmine *lib. I. Epist. IX.* ad eum data respondet: *Nostra promotio, quæ tibi cæterisque fidelibus piam de nobis existimationem & gaudium administrant, nobis interni doloris amaritudinem & nimiam anxietatis angustias generat. Videmus enim quanta nos sollicitudo circumstat, sentimus quantum nos susceptioneris sarcina gravat, sub quibus dum*

C 2

no-



nostra infirmitatis conscientia tremit, anima nostra in Christo
potius dissolutionis requiem, quam in tantis periculis vitam, cu-
pit. In tantum quippe commissi nobis officii consideratio nos
solicitat, ut nisi in orationibus spiritualium hominum post De-
um aliqua fiducia nos sustentaret, curarum immensitate
mens nostra succumberet. Peccatis enim facientibus ita pene
totus mundus in maligno est positus, ut omnes & praeipue qui
in Ecclesia prelati sunt, eam potius conturbare, quam fidei
devotione defendere vel celebrare contendant: & dum suis
aut lucris, aut praesentis gloriae desideriis inbiant, omnibus quae
ad religionem & justitiam DEI pertinent se velut hostes oppo-
nant. Quo magis nobis dolendum est, qui susceptum uni-
versalis ecclesiae regimen in tanta difficultate nec rite admini-
strare, nec tuto deserere possumus. Similem hypocrisin mul-
tae ejus epistolae loquuntur; ut, nisi quis gesta ejus legerit,
persuadere sibi facile posset, hominem fuisse religio-
sissimum. vid. tom. X. Conciliorum a Philipp. Labbeo & Gabr.
Cossartio editum.

§. 25.

Sic callide postea in negotio stabiliendi TOTAT-
TUS sese gesit. Initio enim Pontificatus sui, teste Lam-
berto Schaffnaburgensi, gratiam sibi Caesaris Henrici soler-
ter ipsi adrependo, conciliarat; ut missis literis ad ex-
cusandam suam sine ejus consensu factam electionem,
tandem adprobarit. Deinde ne statim rebus adhuc minus
firmatis, Regem offenderet, primis quatuor annis Pontifi-
catus sui, si Baronio credimus, nihil quicquam de investitu-
ris Episcoporum Caesari ac Principibus auferendis movit.
Mox declamationibus in Simoniacos tum maxime exosos,
pietatis opinionem sibi conciliavit; simul vero praetextu
canonum, quos allegabat, Cleri & populi favorem pe-
perit. His allectis in suas partes, tandem aperte magis
Re-

Regum jura invasit, rebelliones Germanorum subinde fovens. v. *Natal. Alexandri Hist. Eccles. secul. XI. & XII. tom. 2. dissert. 2. art. 2.*

§. 28.

Atque sic ovina hactenus pelle indutum *Hildebrandum* ex specula quasi insidiatum Imperatori & Principibus orbis Christiani vidimus. Nunc illa exutum in leonina ad TOTATUM stabiliendum grassantem videbimus. Is autem summum terrenæ potentia culmen est, in quo constitutus Imperatorem, Reges, Principes longe infra se positos, ὁ Θεὸς ἔχων χιλιόταλάνης, ἀνακυλιονιστίας, (ut Alexis apud *Athenaum lib. VI. Deipnos. c. 8.* loquitur) despexit atque insultare iis non amplius religioni sibi duxit.

§. 29.

Quod ut pateat magis, ἀλαζονεματῶ *Hildebrandi*, quibus TOTATUM Pontificum firmavit, breviter describemus. Nempe cœlestia & terrena, spiritualia & temporalia ut vocant, omnia pedibus suis subjicere laboravit, *ut unum sit in terris nomen videlicet Papa*; reliqua

— *volitent velut umbra.*

Unicus scilicet mundi universi Dominus; unicus, ut ipsi appellant, vice-Deus, unus Imperator, unus Rex, unus vere Princeps, qui ut Poëta loquitur,

res hominum Deumque

Æternis regit Imperiis, & fulmine terret.

v. *Aventin. l. V. Ann. Bojor. f. 447. sequ.* Huic omnipotentia ab *Hildebrando* affectata *Henricus IV.* sese opposuerat, Epistola ad *Hildebrandum* data, cujus verba mox allegabimus. Jus enim Cæsari jam diu quæsitum fuerat, ut Pontificem R. insolescentem in ordinem redigere ac deponere posset. At *Hildebrandus* vi nitens sua, spretoque omni Cæsarium jure, *Henricum* a Saxonibus ante accusatum, le-

C 3

gatis

gatis Goslariam, ubi ille tum agebat, missis, Romam ad causam dicendam evocaverat, anathematis fulmen, ni pareret, minatus. Hac insolentia Pontificis Cæsar motus, Imperii Proceres, Episcopos, Abbates, Wormatiæ indicto conventu convocavit, de iniquissimis Hildebrandi ausis cum ipsis coram acturus. Proceres & Episcopi ibi magno numero congregati, facinus illud Papæ ante inauditum detestantur, statimque sede, quam injuste occupasset, Roma indignum, ac adeo deponendum pronunciarunt. Decretum Cæsar per legatos a. 1076. Romam ad Pontificem misit, quod ita habet: *Henricus non usurpatione, sed pia DEI ordinatione Rex, Hildebrando non iam apostolico sed falso monacho. Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem prateruisti, quem confusione, non honoris, maledictionis, non benedictionis participem non feceris &c. Tandem concludit: Tu ergo hoc anathemate (B. Petri & Pauli) & omnium Episcoporum iudicio & nostro damnatus, descende, vindicet am sedem Apostolicam relinque, alius in solium B. Petri ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed B. Petri sanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus, descende, descende.* Prolixius rem describunt Lambertus Schaffnaburg. Bertold. Const. Autor belli Saxonici & Lebmannus Chron. Spir. lib. V. c. 31.

§. 36.

Hildebrandus nuntio hoc parum lato Romam allato, itidem convocata Synodo, Henricum Imperatorem diris statim devovendum, & abrogato ipsi imperio, subditos omnes sacramenti & obsequii vinculo absolvendos decernit. Formula ejus feralis apud *Platinam in vita Gregorii VII. Baron. in annalibus ad a. Chr. 1076. n. 25. Cent. Magdeb. Cent. XI. c. 8. & Lebmannum loc. cit.* legitur. Haut incon-

ful-

sultum reor, fuerit, pauca ex illa formula excommunica-
tionis hic inserere. *Fiducia igitur fretus, pro Ecclesia bono-
re D. Petri & defensione & parte omnipotentis DEI Patris &
Filii & Spiritus S. per tuam potestatem & auctoritatem, Henri-
co Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam,
inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum & I-
talie gubernacula, contradico, & omnes Christianos a vinculo
juramenti, quod sibi fecerunt, vel facient, absolvo, & ut nul-
lus ei sicut Regi seruiat, interdico &c.* Eo audaciæ forte non
progressus esset, nisi, quod *Aventinus l. V. A. B.* habet, fre-
tus armis Nordmannorum, qui tum per Apuliam, Cala-
briam, Campaniam, quas vi occupaverant, debacchaban-
tur, confusus etiam opibus Mathildis foeminae impudentis,
& discordia Germanorum, tam fastuosos sumsisset spiritus,
ut Cæsarem excommunicaret.

§. 31.

En ergo primum HILDEBRANDINI TOTATUS
specimen, quo se supra Imperatorem extulit, divinam sibi,
cui Cæsar & Principes soli obnoxii sunt, potestatem arro-
gando. Scilicet quia in *Extravagantibus, unam sanctam
de major. & obedientia* extat: *subesse R. Pontifici omnem
humanam creaturam: vel ut Platina in hujus Gregorii vita
colligit: Si Papa possit in cælo ligare & solvere; posse multo
magis in terra quaque imperia, regna, principatus & quic-
quid habere mortales possunt, conferre & dare.* Sed impro-
barunt hanc tyrannidem Hildebrandinam Benno ipse Car-
dinalis: *Præter voluntatem* inquit, *& concilium Cardinali-
um extra ordinem judicandi, sacris canonibus determinatum,
Imperatorem in nulla synodo canonice accusatum, precipitan-
ter excommunicavit: in qua excommunicatione nullus Car-
dinalium subscripsit. Ut primum ad excommunicandum (per-
git) Cæsarem, de sede surrexit, sede ipsa noviter lignis fortissi-
mis*

mis composita, subito DEI nutu terribiliter scissa est in plures partes; ut manifeste daretur intelligi, quanta lessor ille tam periculosa excommunicatione & presumptione, quamque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem B. Petri, quam crudeliter dissiparet cathedram Christi, conculcando leges Ecclesie, imperando cum potentia & austeritate.

§. 32.

Otto Frisingensis Episcopus l. VI. c. 35. facinus detestandum suo expendens animo subjicit: *Legō & relego Romanor. Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenguam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum vel regno privatum.* Gotfridus Viterbiensis Panth. parte XVII. ante hunc Imperatorem, scribit, *non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum aut imperio privatum.* Ex recentioribus, ut plures ex antiquis allegare omittam, scriptor Gallicus, *Natalis Alexander Hist. Eccles. sec. XI. & XII. tom. 2. dissert. 2. artic. 9.* probat, Gregorium VII. Romanorum primum fuisse, qui sibi Regum exauctorandorum potestatem contra Patrum doctrinam, imo contra verbum DEI arrogavit. Ante eum Onuphrius Panvinius in vita Greg. VII. ceu rem antea inauditam annotavit: *Primus omnium ait, Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Nordmannorum fretus, opibus Comitisse Matildis mulieris per Italiam potentissima confisus, discordiaque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, prater majorum morem, contempta imperatoris auctoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinisset, Cesarem ipsum (a quo si non electus, saltem confirmatus fuerat) non dico excommunicavit, sed etiam regno imperioque privare ausus est.* Res ante ea secula inaudita. Nam fabulas, qua de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Baronius, quidem,

quidem *Bzovius* & alii Romanæ curiæ assentatores existi-
mant Gregorium VII. nō fuisse primum, qui fulmen excom-
municationis in Cæsarem vibrarit; exempla tamen, quæ
contra allegantur, id tantum probant, ausos ante fuisse Pon-
tifices privare Cæsares communionem fidelium, quod stylo
ecclesiastico etiam dicebatur excommunicatio; at pro-
scribere vel excommunicare Cæsarem, ut simul imperio
exuatur omniumque hominum commercio indignus ha-
beatur; ut, qui illi adhæreant, diris simul devoveantur, quod
fecit Hildebrandus, id inquam, seculis christianis ante fue-
rat inauditum. Quod *Otto Frisingensis*, *Onuphrius*, & mul-
ti alii non tantum asseruerunt; sed post *Maimburgium* &
Natalem Alexandrum, solidis argumentis evicit doctissimus
Gallus *Joannes Launoius*, *Epistola* ad Raimundum Formen-
tinum Theologum Parisiensem, *l. VII. Epistol. p. 670. seqq.* qua
simul Svaris & Martini Becani sententiam de Pontificis
summi Primatu confutat. Cujus verba, cum paullo proli-
xiora sint, transcribere hic omittimus. Hildebrandus cer-
te Henricum non tantum repetita excommunicatione a
communionem Ecclesiæ exclusit, omnesque ejus subditos a
fide obsequii absolvit; sed & cohortatus est ad rebellionem
adversus Cæsarem. v. ejus *Epistolam I. ad universos Christia-
nos lib. IV. Registri* allegati. Heriman. Episcopum Meten-
sem omnesque Episcopos alios & laicos simul *Epist. 2. 3. l.*
IV. & Epist. 1. l. VI. diris devovet, si Henrico excommuni-
cato communicare ausi fuerint. Ideo & Germanos alium
in ejus locum Regem eligere jussit. Confer *Epist. 7. libr.*
cit. & cum illi jussui Papæ obtemperassent, diadema capiti
Rudolphi Anticæsaris imponendum misit, cui juxta Alber-
tum Stadensem *Chronic. p. m. 137.* inscriptus erat hic versus:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

alii, & quidem plures habent:

D

Petra

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpbo.
v. *Aventinum A. B. libr. V.* quo historiam motuum feralium a Papa excicatorum fufe tradit. Scilicet quadrat in hunc Papam, illud *Taciti l. 30. Hist. Nemo unquam imperium flagitio quasitum bonis artibus exercuit.*

§. 33.

Fulmen hoc excommunicationis, iniquissimum licet, in Henricum vibratum, illa tempestate apud Proceres Imperii, Saxones imprimis & Svevos ante Henrico parum faventes effecit; ut ipsum pro exauctorato habentes, fidem & obsequium quoque publice denegarent. Hinc conventum Triburiae agentes, de novo eligendo Rege, consularunt. Ad quem etiam suos Pontifex legatos misit, qui ordines Imperii Germanici stimularent magis, ut in Henrici excommunicati locum, ni poeniteret, novum surrogarent Regem. Cæsar in angustias redactus & ab omnibus pene desertus, Spiram concessit, vitamque aliquantisper privatam egit, donec necessitate extrema compulsus, a. 1077. Romam proficisceretur, ut ab excommunicatione Papali liberatus, iterum regere sibi Germaniam liceret. v. *Lambert. Schaffnaburg. & Autorem vitæ Henrici avd'vovov.*

§. 34.

Iter ergo Italicum, adulta jam hyeme satis molestum ingressus Cæsar, superatis Alpibus Canusium, ubi tum forte Papa commorabatur, venit; sed ad portam, sub dio, vulgari & laneo habitu, nudisque pedibus per triduum subsistere coactus, antequam a Pontifice, vinculo excommunicationis agre tandem solveretur. *Lambertus scenam istam his verbis describit: Nihil ostendens pompaticum, nudis pedibus jejunus, mane usque ad vesperam persistabat, R. Pontificis sententiam prestolando. Hoc secundo,*
hoc

hoc tertio die fecit. Benno Cardinalis in *vitâ Hildebrandi* addit: *Perversoris judicis violentiam Rex patienter & publice & cum lacrymabili afflictione, nudis pedibus in laneis vestibus, hieme præter solitum aspera, apud Canusum spectaculum Angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium triduo pertulit.* Fastum Papæ, ex hac submissione Cæsaris auctum, ex *Epist. 12. ad Teutonicos Principes l. IV.* data colligas. Vid. *Lambert. Schaffnaburg. de Reb. Gest. German. ad A. Chr. M LXXIII. & Albert. Stadens. ad A. Chr. M LXXVI.*

§. 35.

Imperator ex hac submissione, humillimâ licet & erubescenda, haut magnum operæ pretium tulit. Nam Itali eodem vehementer offensi, opprobrio verterrunt Cæsari, quod ita pudendum in morem se excipi passus esset. Ad eos igitur reconciliandos *Henricus* pristinum sibi decus & magistratum, veluti ex intervallo circumposuit, opesque & vires in Italia firmare suas annixus est. Dum autem hæc ab ipso geruntur, proceres Germaniæ *Rudolphum* Sæviæ ducem a. 1077. Regem salutant, ablatoque *Henrico* Imperio, illum quippe Papæ cultorem sequuntur. *Bavari* tamen, *Franci* & civitates *Rhenenses* *Henrico* adhærentes, *Hildebrandinis*, qui tum vocabantur, restiterunt. Unde cruentum in Germaniâ bellum exortum, in quo *Rudolphus* ab *Hildebrando* ad perfidiam illectus, duobus præliis victus, tertio ipse, dextrâ truncatus manu, quæ adhuc hodie *Martisburgi* visitur, cecidit. v. *Albertum Stadens. Chronic. p. 138. seqq.*

§. 36.

Videbatur *Henricus* jam Majestatem Cæsaream vindicasse. Itaque indicto *Episcoporum* conventu, *Hildebrando* sede *Papali* dejecto, alium surrogari Pontificem.

D 2

pro

pro autoritate Cæsarea jubet, captâque dein Roma a. 1084. Hildebrandum urbe exegit. At Pontifex ante in turbido piscari solitus, Saxones iterum adversus Henricum concitaverat, ac eundem denuò diro excommunicationis fulmine percusserat. Quo facto, Saxones postea Hermannum, ducem Luxemburgensem, & illo mortuo, Eckbertum Saxonix Marchionem Regem elegerunt. v. *Goldasti Constitut. imperial. tom. 1. f. 245.* Quum vero hæc destinata non ex voto rebellium succederent; tandem profanas! filium etiam Imperatoris Henricum v. in patrem Papæ instinctu incitant, qui eum insidiis & fraude circumventum, in itinere, quo ad comitia Moguntina properabat, comprehensum imperio privavit atque vitam miserissime transigere ac finire adegit. Historiam hujus perfidiæ prolixius *Abbas Ursbergensis, Conr. à Lichtenau, in Chron. a. MCV. & in Chronico Spirensi, Lehmannus enarrant. Goldastus const. imperial. tom. 1. fol. 248. Rescripta Henrici IV. ad filium Henricum V. de perfidia & impietate in se admittâ; item Rescripta ad Principes imperii super injusta sua depositione exhibet.*

§. 38.

Cæterum jus Cæsareum erat, Episcopatus in Germania conferre Præsulibus, eosque more istius seculi *investire.* Hoc Imperatoribus extorquere, intererat *Totatus Hildebrandini.* Ecclesiastica enim bona maximam jam tunc imperii partem constituebant; quorum ergo collationem si eripuisset Imperatori, non diffidebat stabilire se posse, quem meditabatur, *Totatum.* Nullo igitur Principum, ajebat, opus esse consensu in Episcopatum collatione. Quia vero Henricus IV. hac in parte ipsi maxime obnitebatur, eum Simonix postulavit; cum tamen Alexander II. cujus lateri Gregorius VII. semper adhæsit, Anshelmum in
Germa-

Germaniam misisset, ut & Lucensem Episcopatum abs Henrico impetraret. v. *Baronium tom. XI. ad A. Cbr. M. LXXIII.* Oportet ergo Alexandrum II. quoque Simoniacum fuisse. Investituræ autem ille ritus per virgam, & annulum fieri consueverat. Quanquam hæc ceremonia per virgam aut baculum non haberetur summe necessaria; cum *Valtramus*, accerrimus alias Henrici defensor, aperte scribat: *Nihil refert siue verbo, siue præcepto, siue baculo, siue aliare, quam in manu tenet, investiat aut intro- nizat Rex & Imperator Episcopum: & post; sed congruum magis est per baculum.*

§. 39.

Jus autem hoc regium primus fuit Hildebrandus, qui id sibi deberi contendit. Noverat enim quantum hac in parte Imperatoris decederet autoritati, tantum accedere Pontificiæ. *Henricus* quidem dictus jus hoc cedere Hildebrando constanter abnuit; Rudolphus etiam Sveviæ Dux & Hermannus contra Henricum a nonnullis Principibus, instinctu Hildebrandi Germaniæ Reges electi, illo jure adhuc usi sunt, ut ex *Crantzii Metropoli libr. V. c. 16. & 23.* patet: *Paschalis* tamen *secundus* tandem id Henrico V. Imperatori anno Christi M. C. XXII. in Comitibus Wormatiensibus extorsit. Vid. *Abbat. Ursbergens. Gotfridum Viterbiensem Panthei parte XVII. Baron. tom. XII. ad A. Cbr. M. CX. & M. CXI. Goldast. in constitut. Imper. & Rationali;* item *Arnoldum Buchelium notis ad Heda Ultrajectinam Historiam p. 154.*

§. 40.

Quantum vero momentum ad stabiliendum *Totum* Pontificis faciat jus investiendi Episcopos, *Onuphrius Panvinius* in historia *Gregorii VII.* ingenue & prudenter *fol. 262.* cum paullo ante decreta Hildebrandina recitas-

set, tradit: *His decretis in duobus potissimum Majestas & Ro-
mani Imperii dignitas evertebatur, & quod lege pejus erat,
ea fundamenta jaciebantur, quibus R. Imperii potestas omni-
no labefactaretur.* Id postea solidis sane rationibus addu-
ctis prolixius demonstrat, quas adscribere ob brevitatis stu-
dium, nobis non est integrum. Eiusdem sententiæ acce-
dit *Paulus Æmilius Veronensis*, gravissimus rerum Franci-
carum scriptor: *ea res (loquitur de jure jam Cæsari ex-
torto) multum virium Imperatorie Majestati detraxit in a-
nimis popularium: plus enim quam dimidium sue jurisdictio-
nis perdidit.*

§. 41.

Non satis jam erat ad *Totatum* firmandum, jus re-
gium Cæsaris affectasse; sed plus ultra tendit ambitio Hil-
debrandi inexplebilis. Misso enim Hugone Diensi Epi-
scopo in Gallias mandaverat, ut de investituris laicalibus
abolendis in concilio Lingonensi decretum promulgaret,
quod a *Baronio ad A. Chr. M. C. XXVIII.* recitatur: *Quoni-
am, investuras Ecclesiarum contra statuta S. Patrum a lai-
cis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plu-
rimas turbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana reli-
gio conculcatur; decernimus, ut nullus clericorum investitu-
ram Episcopatus vel Abbatia, vel Ecclesie de manu Imperato-
ris vel Regis, vel alicujus laice persone, viri vel foeminae su-
scipiat. Quod si presumpserit, cognoscat investituram illam
Apostolica autoritate irritam esse, & se usque ad condignam
satisfactionem excommunicationi subjacere.* Quod decre-
tum apud *Baronium* anno citato, duobus post annis, ite-
rum verbis usus longe asperioribus repetiit. Hinc Clas-
sicum turbarum, hinc incendii initium, quo totus ferme
occidens postea conflagravit.

§. 42. Non

Nondum sufficiebat Hildebrando ad *Totatum* stabilien-
 dum imperatorem sibi subjecisse, nisi & Regibus ac Princi-
 pibus Christianis omnibus servitutis jugum pari ausu im-
 ponere tentaret. Idcirco enim *lib. I. Epist. 7.* ad Principes Hi-
 spaniæ scribit; Regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris
 S. Petri fuisse & adhuc esse. *conf. l. IV. Epist. 28.* Jusjuran-
 dum fidelitatis a Richardo Capuæ Principe, *Epist. 21.* exegit.
 Philippum I. R. Francorum *Epist. 75. lib. 1.* monet, ut damna
 Ecclesiæ illata resarciat, & *l. 2. Ep. 18.* fulmen excommuni-
 cationis eidem minatur; cum ante *Epist. 5.* Episcopos Fran-
 corum excitasset, ut Regi suo resisterent. *Lib. II. Epist. 13.* ad
 Salomonem Reg. Hungariæ scripta, regnum illud juris esse
 S. Petri, ait. *Lib. II. Epist. 70.* Geusam (Geizam) Hungariæ
 Regem, ad quam a Salomone regnum translatum erat, hor-
 tatur ad obsequium sedi R. præstandum. De iniqua hac
 præensione Papæ in regnum Hungariæ legi meretur *Con-
 ringius de Fin. Imp. Germ. l. 1. c. 16. §. 16. sequ.* *Lib. II. Epist. 37.*
 Boleslao R. Poloniæ formam quasi regiminis administran-
 di præscribit: Et *Epistola sequ. 74.* ad Demetrium Russo-
 rum Regem scribit, regnum eorum, filio, consensu acce-
 dente se tradidisse. *Lib. 1. Epist. 45. & 61. & l. II. Epist. 2.* Wra-
 tislauum Ducem Bohemiæ officii sui monet. *Lib. II. Epist. 21.*
& 75. Regem Danorum Svenum de obedientia scilicet sedi
 Rom. debita monet: confer *l. V. Epist. 10. & l. VII. Epist. 4.*
 Olaum Norvvegiæ Regem *l. VI. Epist. 13.* monet, ut nobiles
 juniores Romam mittat, qui sedis R. mandata ad ipsum
 ferre & prædicare queant. *Lib. IV. Epist. 17. & l. VII. Epist. 25.*
 ad Wilhelmum R. Angliæ, & *l. VII. Ep. 26.* ad Mathildam
 Reginam Angliæ obsequii causa scribit. confer *l. VII. Epist.*
27. ad Robertum Regis Anglorum filium. *Lib. VIII. Epist. 9.*
 ad Regem Sveciæ, quem monet, ut Romam mittat, qui
 gen-

gentis suæ mores recenseant, & vicissim mandata apostolica ad eum referant. *Libr. VII. Epist. 11.* Vratislao Bohemorum Regi interdicit, ne officium, quod vocatur, in linguam Slavonicam vertat. *Libr. VII. Epist. 4.* Wezelino imperat, ne Regem Dalmatiæ apostolica autoritate constitutum infestet, & si quid adversus eum habeat querelarum, id ad suum tribunal Romanum deferat. *Libr. VI. Epist. 37.* Jordanum principem Capuanum arguit, quod B. Petro fidem non servarit. *Libr. IV. Epist. 27.* Dominico Silvio Duci & populo Veneto præcipit, ne cum excommunicatis communicent. *Libr. VI. Epist. 14.* Welfonem, ducem corripit, quod adversus se murmurasset. *Libr. IX. Epist. 3.* ad Episcopum Pataviensem, p. 279. Rudolphi Anticæsaris formula juramenti sibi præstiti subjungitur: *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apostolo ejusque vicario Papa Gregorio, qui nunc in carne vivit: at quodcunque mihi ipse Papa præceperit, sub his videlicet verbis; per veram obedientiam, fideliter, sicut oportet Christianum, observabo, &c.* *Libr. II. Epist. 40.* universos fideles monet, ut legatis suis obedientiam præstent. Et ne forte imperator Byzantinus sibi in *Totatu* stabiliendo negotium facessat, *l. 1. Epist. 18.* Dominicum Patriarcham Venerum, ad eundem ablegat; ut pacem cum Ecclesia CPTana ineat. Epistolæ ad Archiepiscopos, Episcopos & Abbates missæ omnes de imperio in ipsos superbe arrogato testantur; ut eas allegare hic nimis prolixum futurum sit. Non ignarus scilicet hac in parte fuit Hildebrandus, quod *Tacitus* dixerat, pronis eventibus metum aut fiduciam gigni, instandum famæ, & prout prima cessissent, fore universa. itaque nihil intermisit eorum, quæ ad *παμβασιλείαν* ullo modo facere videbantur. Consilium Augusti a Tiberio successore præcepti instar observatum, *de coë-*
cendō

cendo, intra terminos imperio, humile nimis videbatur, cum unus orbis ipsi vix sufficeret.

§. 43.

In compendio TOTATUM ab Hildebrando affectatum videre licebit, si ejusdem canones vel *Dictatus*, Dictaturæ scilicet Papali stabiliendæ maxime idoneos ex *Baronio ad A. Chr. M. LXXVI. n. 31.* huc transcribamus. Illi vero ita habent:

1. *Quod Romana Ecclesia sit à solo Domino fundata.*
2. *Quod solus Pontifex jure dicatur universalis.*
3. *Quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.*
4. *Quod legatus ejus omnibus Episcopis præsit in concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis dare possit.*
5. *Quod absentes Papa possit deponere.*
6. *Quod cum excommunicatis ab illo, inter cetera, nec in eadem demo debemus permanere.*
7. *Quod illi soli licet pro temporis necessitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica Abbatiam facere, & contra divitem Episcopatum dividere, & inopes unire.*
8. *Quod solus possit uti imperialibus insigniis.*
9. *Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.*
10. *Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.*
11. *Quod unicum est nomen in mundo, videlicet Papæ.*
12. *Quod illi liceat Imperatores deponere.*
13. *Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.*
14. *Quod de omni Ecclesia, quocunque voluerit, clericam valeat ordinare.*
15. *Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare; & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.*
16. *Quod nulla synodus absque præcepto ejus debet generalis vocari.*
17. *Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius autoritate.*

E

18. Quod



18. Quod sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

19. Quod a nemine ipse judicari debeat.

20. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellatur.

21. Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant.

22. Quod Romana Ecclesiæ nunquam erravit, nec in perpetuum, scriptura testante, errabit.

23. Quod R. Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus.

24. Quod illius præcepto ac licentia subjectis liceat accusare.

25. Quod absque synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare.

26. Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

27. Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

Vid. Epist. Hildebrandi LV. ad Laudanenses, libr. II. Registr. qua dictatus memorati eodem ordine recensentur. Unde & doctissimus Edmundus Richerius, doctor Sorbonicus, in Hist. concil. general. tom. 1. p. 758. seqv. cum eosdem recitasset, subjicit, Gregorium VII. effecisse, ut Romana curia absoluto atque pure monarchico dominatu cogeret, quæcunque Christianis præciperet: adeo, ut ab illo tempore omnes Ecclesiæ jugum horum *Dictatorum* subire coactæ fuerint: propterea quod ejusmodi dictatus dehinc fuerunt instar instructionis & commentariorum, ad quos curia Romana jugiter noctes atque dies pro asserenda infallibili Papæ monarchia collimaret.

§. 44.

Inter hos tamen *Dictatus* esse aliquot apocryphos seu supposititios, Johannes Launoïus Epistola ad Antonium Faurnum Parisiensem Theologum fol. 542. seqq. & qui hunc secutus

tus est, *Natalis Alexander, Hist. Eccl. Sec. XI. & XII. tom. 2. dissert. 3.* evincere conantur: Verum si quis eorum argumenta contra illos in medium allata expendit animo, deprehendet, ea nec Ecclesiæ R. placitis publice tum receptis, nec ingenio ambizioso Hildebrandi, nec dominatui, quem sibi arrogabat, absoluto; nec ejus, quæ allegantur Epistolis, nec tyrannidi, quam jam exercebat repugnare. Sane ridiculum est, quod *Natalis Alexander dissert. citata, p. 458. sequ. ad dictatum octavum* adfert: *Gregorium VII. modestissimum & humillimum Pontificem fuisse;* cum tamen si gesta ejus, quæ ipse magnam partem recenset, videas, nullum magis unquam *regnandi dira cupido* vexarit, quam Hildebrandum *σφαρβλέφαρον*, quippe cujus propositum semper fuit,

Αἰὲν δ' ἄριστον καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
immo in superos inferosque dominationem sibi vendicabat, ut illius *Virgilii* de eo non immerito usurpare queas,
animas ille evocat orco

Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit.

Quis ergo credat Hildebrandum humilitatem amasse, cui non sufficebat Roma, *urbs*, ut *Tacitus* loquitur, *caput rerum, unde in omnia regimen*, nisi & Europæ cæteræ partem multo majorem aut vectigalem aut beneficiario jure subjectam sibi redderet, homo *ἀεπακτικώτερος ἢ γαλῶν*. Revera illi symbolum, quod apud *Senecam* legitur, aptes,

Cedat quicquid excelsum est.

Certe *Baronius*, cum loco jam allegato *Dictatus* hosce memorasset, de *ἀυθεντία* eorum nullus dubitat: *ad hanc quoque Synodum* (Romanam) scribit, *spectare noscuntur, quæ superiori libro posita leguntur ejusdem Gregorii Papa sententiæ breviores, quæ hoc titulo inscriptæ habentur: DICTATUS PAPÆ.* Ita ob emergentes & urgentes casus presentis schismatis

67
matis declarata & promulgata, quæ hætenus in Ecclesia catholica usu receptæ fuissent, ut ita velex his reprimeretur audacia schismaticorum Episcoporum & Principum, hoc tempore in R. Ecclesiam insurgentium. Baronio hac in parte adstipulatur Onuphrius Pandinius, in vita Gregorii VII. In media (inquit) quadragesima Gregorius Roma in Basilica Lateranensi, quæ Constantinopolitana appellatur, primo Synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum & aliorum Prelatorum congregavit, in qua circa XXX edidit capitula seu canones, quos DICTATUS appellavit: quorum major pars antea parum in usu fuerat, & a nemine prædecessorum suorum unquam attentata; verum ad firmissimum Ecclesie statum jaciendum & omnia tentanda, quæ animo agitabat, idonea.

§. 45.

His ergo Dictatibus imperiosis TOTATUS universo orbi Christiano formidabilis stabilitus & firmatus fuit. Nam etsi Pontifices Romani aliquam in rebus spiritualibus potestatem jam tenerent; *secularem* tamen quam vocant, nondum obtinuerant, quam Hildebrandus invasit, novisque his capitulis firmavit. Parum enim ipsi videbatur & fortunam suam deplorare poterat; nisi & de capitibus Cæsarum & Principum omnium libere, ut de sacerdotum vita & factis, pro lubitu statuere posset. Observavit hoc in vita Gregorii VII. Onuphrius jam laudatus, cujus verba adscribere forte abs re non erit alienum: *Huic uni* (Gregorio) inquit ille, *cum omnes Latina Ecclesie tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera sit & ab Imperatorum manu eruta, quod tot divitiis, opibus & prophanæ ditione locupletata; quod Regibus, Imperatoribus, Christianis principibus sit præfecta: a qua postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste eximiusque status (TOTATUS)*

TUS) in quo Ecclesia R. est variarum Christianarum domi-
na; cum antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus
modo, sed a quovis Principe Romani Imperatoris presidis ful-
to premeretur: ab hoc maxime illius & omni seculo tremen-
da venerandaque R. Pontificis & infinita pene potestatis jus
manavit. Nam etsi ante R. Pontifices, tanquam Religionis
Christiana capita, Christi que vicarii & Petri successores cole-
rentur; non tamen eorum autoritas ultra protendebatur,
quam in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cate-
rum Imperatoribus suberant; ad eorum nutum omnia fie-
bant: ab eis creabantur: de eis judicare vel quicquam de-
cernere non audebat Papa Romanus. Confer quæ hanc in
rem differit Isaacus Casaubonus Exercit. XV. n. 15. ad an-
nal. Eccles. Baronii.

§. 46.

Videtur equidem Casaubono Hildebrandina sapi-
entia defuisse, quod infallibilitatis privilegium in citatis di-
ctatibus non sanciverit, cum postea velut necessarium co-
rollarium adjectum esset. Verum, si quis attendit dicta-
tum XIX. quod a nemine ipse judicari debeat: & XXII. quod
Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, scri-
ptura teste, errabit; facile inde colligitur, quod & hoc sibi
jus arrogaverit; licet non totidem verbis expresserit.
Præsertim cum Dict. XVII. nullum capitulum, nullumque
librum canonicum absque autoritate sua haberi debere san-
civerit; & ut dict. XXV. habet, quod absque synodali con-
ventu possit Episcopos deponere & reconciliare: quia juxta
dictatum X. & XI. unicum est nomen in mundo, Papa vide-
licet. Confer Aventinum l. V. f. m. 447.

§. 47.

Ne autem Sacerdotes & Clerici, si matrimonia, ut in
antiqua Ecclesia moris erat, contraherent, forte majorem
con-

conjugum ac liberorum, quam rerum sacrarum curam gererent, eorumque respectu, magistratibus, quorum in ditione viverent, sese adjungerent, aut opes in suorum usus privatos impenderent; aut etiam liberorum habita ratione Principibus & Magistratibus magis, quam Pontifici adhererent; Hildebrandus omnibus Clericis *cœlibatū* imperavit. Id quod *Matthæus Paris, Monachus Albanensis, Anglus, in Historia Maj. fol. 7. edit. Londinensis,* memorat. Anno, inquit, Domini M. LXXIV. Gregorius sedit in cathedra Romanâ annis duodecim, mense uno, & tribus diebus, qui Hildebrandus vocatus antea fuerat: iste Papa in Synodo generali Simoniacos excommunicavit, uxoratos Sacerdotes a divino removit officio, & laicis missas eorum audire interdixit, novo exemplo, & ut multis visum est, inconsiderato judicio, contra sanctorum Patrum sententiam. Ex qua re (pergit Matthæus) tam grave oritur scandalum, ut nullius heresis tempore, sancta Ecclesia graviori sit schismate discussa: his pro justitia, illis contra justitiam agentibus. Porro paucis continentiam observantibus, aliquibus eam causa lucri ac jactantia simulantibus, multis incontinentiam perjurii multipliciori adulterio cumulantibus. Paucis *Aventinus l. V. A. B. f. 460.* Sacerdotibus quoque connubiis interdixit, vetat populum sacrificiis eorum interesse, aut illos pro sacerdotibus ducere. *Gratissima* hæc fuere scortatoribus, quibus pro una uxore sexcentas mulierculas inire licet. Sed isthæc omnia, plerisque episcopis, aliis eruditis, simplicibus apertis atque bonis, præter conjuratos, qui sua causa serviebant, novum dogma, pestifera heresis, que unquam Christianum conturbasset regnum, visa est. Pape interim Archiepiscopo Colonienſi Annoni & Magdeburgensi Wezelino *l. II. Registri Epist. 67. & 68.* mandat, ut habita in suis diœcesibus synodo, decreta de cœlibatu clericorum promulgent atque sacerdotes ad castitatis studium

um

um cohortentur. Quod tamen ipse Mathildi comitissæ
nimium familiaris parum servavit. Jussu ejusdem archi-
episcopus Moguntinus, Erffordix a. Chr. 1074. & Mogun-
tiæ, anno sequenti, synodo convocata, clericis cœlibatum
imperavit, graviora ni Pontificis voluntati parerent, mina-
tus. At clerici *Lamberto Schaffnaburgensi fol. m. 212. 223.*
teste, qui assidebant undique exsurgentes, ita eum verbis con-
futarunt, ita manibus & totius corporis gestu in eum debaccha-
ti sunt, ut se vita comite synodo excessurum desperaret.

§. 48.

Mirus scilicet Papa hac in parte artifex fuit. Matrimo-
nium ante jam in sacramenti formulam redactum erat, ut
hoc nomine jurisdictionem dilataret suam, atque omnes,
qui ad matrimonium, divortia, rescissiones matrimo-
norum, successiones hæreditatis & similes causas pertinent,
ad suum traheret tribunal; & gradibus etiam consanguini-
tatis ac affinitatis pluribus confictis, adigerentur Principes,
pro legitimis nuptiis probandis, Pontificis consensum vel
autoritatem implorare; nunc vero clericis hujus sacra-
menti usum interdixit. Quod interdictum singularis cu-
jusdam sanctitatis specie vulgo commendabatur ideo,
quod earum rerum, quas afferre matrimonium solet, cura
soluti sacerdotes sancta munera rectius obire possent:
Quippe quod juxta *capitulum XII. Concilii Romani*, conju-
gale opus sacerdotum inter carnalis legis observantiam
computaretur. *v. tom. X. concil. f. 326.* Revera autem cœ-
libatus clericorum ad TOTATUM faciebat Hildebrandi.
Nam causas de matrimonio, & divortiis ad suum tribunal
ipsum traxisse, ex *lib. 1. Reg. Epist. 5. lib. II. Epistol. 3. ad*
Guilielmum comitem Pictaviensem, adparet. *conf. Aventin.*
Ann. Boj. l. V. f. 448.

§. 49.

Paucis ergo ut *Totatus*, abs Hildebrando stabilitus
fuit,

fuit, jam exposuimus. Nunc quibus dominatus ille modis
conservatus, aut quæ postea etiam incrementa ceperit,
addere possemus. Enimvero dum nobis prolixioribus
esse non licet, telam hanc abrumpimus, DEO ter Optimo
Maximo gratias agentes, quod soluto tyrannidis Pontificiæ
jugo, Christiana libertate iterum frui nobis datum sit.

Ipsè, qui solus potest, servet illam, atque tan-
dem destruat Babylonem.

ADDITAMENTA.

I.

Bonifacius vulgo Germanorum Apostolus appella-
tus, non fuit primus Evangelii in Germania præco.

II.

Vocabulum *investitura* translatum esse ad ratihabitio-
nem electorum Episcoporum, quos Rex vel Imperator post
factam electionem suo suffragio vel consensu confirmavit,
ex *libr. 11. LL. Lombard. t. 18. l. 7. Lindenbrog. adparet.*

III.

Vere *Cranzius l. IV. c. 19.* de Episcopis loquitur: *suc-
cessit humilitati fastus, religioni vanitas, sanctitati impie-
tas & immunditia.*

IV.

Beatior nostra foret Germania, si omni illo Ponti-
ficum jugo excusso, in eam libertatem asseratur, quam o-
lim habuit.

V.

Qualis nunc est Germaniæ status, impossibile vide-
tur, jugum Pontificis R. excutere.

VI.

Principes Protestantes jugo Pontificis R. exempti, lon-
go majori potestate & autoritate pollent, quam Princi-
pes Romano-Catholici.


S. D. G.





(X2258363)







XXXIII.

1693, 18

22

23

Q. D. B. V.
DE

**TOTATU
HILDEBRANDINO,**
DISSERTATIO HISTORICA,

Quam
MODERANTE
L. ADAMO RECHENBERG, P.P.

In
ACADEMIA LIPSIENSI,
IV. Febr. M. DC. XCIII.

H. L. Q. C.
Ad solennem Eruditorum disquisitionem,
proposuit

JOHANNES DOPPERT,
Mœno - Francofurtensis,
A. R.

LIPSIÆ,
LITERIS CHRISTOPH. FLEISCHERI.

